

QUAESTIO SECUNDA

Queritur utrum confirmatio sit sacramentum. Et videtur quod non. Quia omne sacramentum est institutum a Christo, sed hoc sacramentum non est institutum a Christo; igitur etc. Minorem probo, quia non legitur in Evangelio.

Item si sic, tunc haberet certam formam et certam materiam. Consequens est falsum, quia Apostoli nulla forma usi leguntur, et sine quacumque materia confirmabant per solam manuum impositionem, *Actuum*, 8: *tunc imponebant manus super illos* etc.

Praeterea, si sic, foret sacramentum necessitatis. Consequentia probatur [376a] per illud Urbani, et ponitur *De consecratione*, distinctione 5, capitulo 1: „omnes fideles per manus impositiones episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni christiani inveniantur”. Sed necesse est ad salute quod homo sit plenus christianus.

Praeterea, si sic, quilibet confirmatus posset confirmare, et quia quilibet talis habet characterem confirmationis, potest consimilem in eo causare.

Item, si sic, episcopus degradatus posset confirmare, et posset conficere corpus Christi, quia, si semel potuit confirmare aut conficere corpus Christi, semper poteri; ex quo character manet semper indelebilis.

Oppositum tamen habetur *De consecratione*, distinctione 5 per totum.

Ad hanc quaestionem dicendum est quod sic. Unde sciendum quod sex sunt de substantia huius sacramenti, materia et forma ex parte sui, dignitas pontificalis et intentio debita ex parte ministri; ex parte autem confirmati, quod habeat devotionem seu voluntatem et quod sit baptizatus, quia baptismus est ianua sacramentorum, distinctione 3, *Sollicitudo*. Materia est chrisma, quod est oleum balsama et mixtura quaedam de oleo et balsamo ab episcopo consecrata. Oleum vero debet esse olivae tantum. Forma est ista: 'consigno te signo crucis'; 'confirmo te chrismate salutis'; 'in nomine Patris etc.', licet quidam dicant: 'signo te chrismate sanctificationis'.

Ad primum dicendum quod istud sacramentum fuit institutum a Christo, <*Secundum*> *Matthaeum*, 19, ubi pueris legitur manus imposuisse. Nec obstat quod nec in Evangelio legitur, nec in *Actibus Apostolorum* forma vel materia istius sacramenti, quia tam forma quam materia quorundam quae non sunt de necessitate salutis occultanda erant in Ecclesia primitiva propter irrisiones gentilium. Unde Dionysius in fine *Ecclesiasticae hierarchiae* se excusat a determinatione factorum sacramentalium.

Per quod patet ad secundum, tamen Apostoli aliqua forma utebantur, licet non scribebatur.

Ad tertium dicitur quod necessarium est non ad esse, sed ad bene esse.

Ad quartum dicitur quod communiter soli episcopi possunt hoc sacramentum conferre, sed simplici sacerdoti potest committi; vide casum *De consecratione*, distinctione 5, *Manus cum Glossa*.

Ad quintum, dicunt quidam quod sic, quia episcopus degradatus semper est episcopus. Nota quare tenetur homo ad confirmationem, quia est sacramentum ad roborandum, et ipse se significat robore indigere. Nec differt utrum mulier teneat virum an vir. Item loca unctionis debent ligari panno quousque desiccentur. Et postea debet homo esse sub quadam disciplina per septem dies, propter septiformem gratiam Spiritus Sancti.